



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Christianæ fidei Exomologesis, siue Confessio, Sarracenis facta, cùm primis quidem pia, & spiritum planè Apostolicum redolens, è Græco conuersa, in certo autore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

Saracenos nō
seruare Alco-
rani legem.

Alcoranum
difficile.

prehensione dignum erit eam non obseruari. Sed Saraceni eam nō seruant: periculosius igitur peccant. Quod autem eam non seruant, nec complent, manifestum est. Bibunt enim uinum, et inebriantur, comedūtq; illicita apud eos: non seruant ieiunium, neq; orationem, neq; expendunt iuxta eorum facultatem, et alia multa quę melius scit qui in conuersatione inter eos experientiam horum capit. Siue facilem hanc dicunt, siue difficilem, periculum non euadunt. Sed in ueritate, Mahometus conatus est quidem facilem legem dare, non tamen permittit sic calamū tēperare, quin difficilia multa interseruerit. Cōtinet enim lex illa difficultatem multam ad eam intelligendam. Dicitur enim in Alcorano, quod à solo deo intelligitur. Hoc autem quomodo sit irrationabile, manifestum fuit in octauo capitulo. Item cōtinet etiam difficultatem ad credendum. Dicit enim, uirginem Mariam peperisse Iesum, et deum

habere uerbum et spiritum sanctū, quę necessaria sunt ad nostram fidem, et tamen miraculis confirmata. Item difficilis est propter opera adimpleri, sicut circuncidi, et non bibere uinum, et cauere ebrietatem per ciceram, et alia quę sunt de ieiunio et oratione, et de collatione cuiuslibet secundum facultatem sibi datam à deo, et multa alia, quę pauci Saracenorum seruant. Sicut igitur fuit mundo necessarium, quod alleuiarentur præcepta euangelij, et daretur Alcoranum leuius: ita posset dici ab aliquo, quod esset necessarium ut daretur alia lex leuior, quę posset ab hominibus obseruari, et tam euangelium quam Alcoranum delerentur. Vel si pauci saluarentur, esset culpa Dei, qui talem legem dedit quam homines seruare non possent. Quod si hoc est in conueniens, standum est in primo, scilicet quod euangelij sit lex à deo, sanctissima pariter et obseruabilis mundo, et quę uires hominum non excedit.

CHRISTIANÆ FIDEI CONFESSIO

FACTA SARACENIS, INCERTO AVTORE.

Siue Richardus Florentinus, quod stylus & alię quaedam circumstantię subindicat, siue alius hanc fidei Christianę exomologesin fecit: pia certe est, & spiritum apostolicum redolet. Exhibet autem formam profitendi catholicam & orthodoxam Christi religionem citra petulantiam & maledicta: rursumq; sine omni furo figuratę potius abnegationis, quam confessionis. Quod si ardentibus uotis à patre meo impetrarem aliquos eiusmodi operarios, qui peritia diuinarum scripturarum instructi, & amore diuino inflammati adirent nationes alienas à Christo, ut ille uir eximius Aegyptum adijt, didicisset linguam Arabicam, & doctrinam istius sectę propius inspexit, mox inde Christianam fidem exposuit, & eorum dogmata refellit, seruata Christiana moderatione, uideremus breui fructus copiosos in horrea domini Dei nostri colligi.



Nos tales, etc. Christianę fidei professores, à longinquis partibus uenientes, existentesq; gratia Dei sanę mētis: Hodie in nomine sanctissimę trinitatis, patris et filij, et spiritus sancti, unius summi et omnipotentis dei, creatoris et gubernatoris uniuersorū, pura et syncera intentione, et nulla humana passione moti, coram tua et tuorū terrena et trāsitoria potestate nos humiliter presentamus, ad duo firmiter et constanter faciendū. Primò quidem ad profitendū nomen Domini nostri Iesu Christi, eiusq; syncerę et immaculatę fidei dei, atq; sancti euāgelij ueritatē. Secundò ad annunciantū uobis uia, extra quam salui esse non potestis. Ad primū cogit nos diuinus honor atq; amor. Etenim in lege diuina scriptū est: Diliges dominū deū tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex mente tua. Quę quidē dilectio ad diuinū pertinet honorē et amorē, qui quidē honor et amor in libera tandē, spontanea et uoluntaria co-

Duo aguntur
in hac oratio-
ne.

ram hominibus confessione ostenditur, et declaratur. Vnde et Dominus Iesus in euāgelio suo ait: Omnis qui confitebitur me corā hominibus, cōfitebor et ego eū corā patre meo, qui est in cœlis: et qui erubuerit me, et meos sermones, hūc filius hominis erubescet in maiestate sua, et patris, et sanctorū angelorū. Ad secundū incitat nos zelus et amor fraternus. Vnde et superiori mādato et dilectione dei immediate adiungitur præceptū de dilectione proximi, eū dicitur: Diliges Dominū Deū tuū, etc. Subiungitur et statim: Et proximi tuū sicut te ipsum. Id est, ad eundē finē, ad eandē salutē et felicitatē, ad quā te ipsum diligis et dirigis, diligas et proximi tuū, et eandē ei procures salutē. Notum itaq; sit uobis dilectissimi, nos esse hominesiam à pluribus annis diuino cultui dedicatos, licet indignos et peccatores, plantatosq; in domino domini ad meditandū in lege ipsius die ac nocte. In cuius diligētī meditationē et perscrutationē uerissime didicimus, qđ fides ecclesię catholicę christianorū, cuius nos sumus professores, est uerissima, nullā in se cōtinens falsitatē aut mendaciū.

Et

Et Euangelium Christi est lex domini immaculata, conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam prestans paruulis. Iusticiae domini rectae, latificantes corda: praecipuum domini lucidum, illuminans oculos, utpote ab ipso Deo patre per uerbum suum, per sapientiam suam, per ipsum unigenitum suum filium, per quem uniuersam ex nihilo produxit creaturam, dictata à patriarchis multis, praesignata à prophetis, praedicta uarijs enigmatibus et figuris, multis antea saeculis apud utrumque populum Dei, scilicet qui Iudeorum dicebatur, et gentilem, praefigurata. Et tandem per ipsam diuinam sapientiam humanatam mundo tradita, et manifestata, mirabilibus signis et portentis confirmata, ab apostolis praedicata: ipsius legis latoris Iesu Christi, ipsorumque suorum Apostolorum, innumerabilium subsequentiū martyrum sanguine consecrata: sanctorum Christi confessorum et doctorum uerbis et exemplis multipliciter et mirabiliter declarata: sanctorum uiduuarum et uirginum diuina potius quam humana continentia et puritate uirginali decorata: ipsorum poenitentia mirabili purgatione super niuem dealbata. In qua omnem humanum intellectum excedentia praedicantur, uoluptates carnis cobibentur: omnia quae in mundo sunt, contentiū docentur: et inuisibilia, immaterialia, spiritalia, et aeterna, non qualia caro et sanguis persuadent, promittuntur. Sed ut cum Alcorano concludamus, in qua est directio et lux et ueritas manifesta. Quantum igitur ad primum, tota mentis nostrae deuotione toto cordis nostri desiderio et seruore praedicamus, et confitemur nomen domini nostri IESU CHRISTI, quod est super omne nomen: ita ut in nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum: et omnes lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria Dei patris. Ipsam etiam quae de ipso est fides, unusquisque nostrum sic cum ecclesia catholica summa cum deuotione profitemur: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae: et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum: qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine: passus sub Pontio Pilato: crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. inde uenturus est iudicare uiuos et mortuos. Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum: carnis resurrectionem ad uitam aeternam, amen. Credimus etiam, quicquid cum his credit sancta mater Ecclesia: siue ad ministerium fidei, siue ad diuina praecipua, siue ad sacramenta quibus regenera-

Symololum.

mur ad uitam, siue ad Euangelicam quocumque modo pertineat legē. Quantum ad secundum annunciamus, praedicamus, et firmiter profitemur quod Dominus noster Iesus Christus uere filius Dei, uerus deus et uerus homo, est uia per quam itur ad salutem ueram, et in caelum ascenditur, ipso in euangelio dicente: Ego sum uia, ueritas, et uita. Via uidelicet, qua dirigimur ne erremus: ueritas, qua illuminamur, ne decipiamur: uita qua uiuificamur, ne deficiamus à termino. Vnde quicumque non est in hac uia, errat: quicumque hanc non aspicit ueritatem, in tenebris est: qui hac non uiuificatur uita, mortuus est. Vnde et magnus quidam Euangelicæ legis eximius praedicator clamat, loquens, de nomine Iesu: Non est aliud nomen datū sub caelo, in quo oportet nos saluos fieri. Hæc est igitur uia, à qua si quis declinat ad dexteram uel ad sinistram, errat, nec pertinet ad terminum salutis, et felicitatis aeternae. Hæc est uia, quam lex nostra euangelica ostendit, et demonstrat. Et ut aliquid summarie et salubriter proferamus: Hæc lex nostra euangelica ostendit praedictam uiam in tribus. Primò, qualiter hæc uia uiuificamus et cognoscimus, et hoc per fidem. Secundo, qualiter in illa uia ponamur et statuamur, et hoc per sacramenta. Tertio, qualiter iam in ipsa positi dirigamur ne ipsam deseramus, et terminum salutis et felicitatis attingamus, et hoc per precepta et uirtutes. Quicumque igitur uult saluus esse, ante omnia opus est ei ut teneat catholicam fidem, scilicet ecclesie catholice Christianorum, prout ipsi ecclesie per euangelium traditur ad hoc ut illuminetur, et uideat, atque cognoscat hanc uiam extra quam non est salus. Deinde ut sacramenta, ecclesie reuerenter suscipiat, ut ponatur in uia per quam necesse est ad salutem ambulare. Tandem ut possit terminum salutis et felicitatis secure attingere, opus est ut obseruet euangelica precepta et diuina: et secundum uirtutes theologicas pariter et morales suam uitam ordinet, et operetur. Oportet ergo, dilectissimi, pro uestra salute tam de deo quam de supradicta uia, quae Christus est, et plus sentire, quam in uestro Alcorano habeatis, in quo licet tam de Deo quam de ipso domino nostro Iesu Christo multa uera et praecleara quae et nos confitemur, habeatis: tamen quia non eadem, ut ipsa ueritas in euangelio manifestauit, nec sufficienter: ideo ipsa lex Alcorani non sufficit ad salutem. Tradit enim ipse Alcoranus de deo, quod unus sit, et incorporeus, immaterialis, inuisibilis, incomprehensibilis cui nec particeps nec socius est, in eius manu uita et mors: ipse super omnia potens, super omnia benedictus: ipse creator, gubernator et iustificator animarum, et multa alia quae certe et nos credimus et praedicamus. Sed in hoc quod negat deum patrem,

Pet. Act. 4

Euangelium tri-
pliciter uiam
Christum mō-
strat.

Ecclesie fides

Alcoran qua-
renus auerens
dus.

trem, non carnaliter ex foemina cum spiritu sit, sed ex substantia sua intellectualiter ab aeterno co aeternum sibi genuisse filium, & produxisse spiritum sanctum, miserabiliter errat, & deficit a ueritate Euangelij: quod firmiter docet, unum esse Deum in substantia & natura, & trinum in personis, scilicet patrem & filium & spiritum sanctum. Nec filium aut spiritum sanctum esse participem, aut socium Deo, cum utrumque non participatione aut societate, sed substantialiter et naturaliter sit Deus, eandem cum Deo patre indiuisam & impartitam habentes deitatis naturam. Quam incomprehensibilem deitatis altitudinem nemo cognosceret, nisi primò per humilitatem Euangelio crediderit. Vnde & quidam antiquorum prophetarum ait, Nisi credideritis, non intelligitis. Et dominus noster ipse in Euangelio loquens ad patrem ait: Confiteor tibi pater domine coeli & terrae, qui abscondisti haec sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Multa insuper uera, praeclara & magnifica tradit de ipso domino nostro Iesu Christo Alchoranus: ut pote, quod dominus noster Iesu Christus est filius Mariae uirginis, omnium mulierum optima: quod sit dei nuntius, suusque spiritus, uerbum coelitus missum Mariae: uir optimus, sapiens, propheta, qui caecum natum neque leprosum curauit, mortuos suscitauit, quod cum uirtute diuina uenerit, quod librum legisferum attulerit, omnique magisterij peritiam, quod testamentum ac euangelium mandatumque filiis Israel edocuerit, uetus Testamentum confirmauerit, & quaedam prius prohibita licitis annumerauerit. Haec utiq; & plura alia praeclare dicta in Alchorano de domino nostro Iesu Christo & nos credimus, & cum omni ueneratione suscipimus. Sed quia non eadem intentione qua in Euangelio dicuntur, & plurima, & maiora praedictis omittuntur, & negantur de ipso: ideo liber Alchorani non solum non sufficit ad salutem, sed omnino est contra salutem. Praedicta igitur de Christo in Alchorano posita, necesse est & aliter intelligere, & ultra ea alia maiora & altiora de Christo credere. Oportet enim credere, quod Christus non solum est Mariae uirginis, sed etiam Dei unigenitus filius, consubstantialis & coequalis per omnia Deo patri ab aeterno, & sine tempore ac initio, ut Dei uerbum, ut sapientia, ut uirtus, genitus, per quem omnia facta. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis, & incarnatus de spiritu sancto, ex Maria uirgine, & homo factus sit. Quod etiam crucifixus, mortuus & sepultus uere, & in propria persona fuerit. Quod a mortuis tertia die resurrexerit, ascenderitq; in caelum propria uirtute, ut

Elias.

Quis sit Christus.

deus, unde uenerat, nõ ut creatura tractus, ut Alchoranus uester fingit. Sed eatq; nunc ad dexteram patris. Quod tandem in fine seculi uenturus sit cum gloria, iudicare uiuos & mortuos: cuius regni non erit finis. Oportet igitur credere, quod Christus sit uerus Deus & uerus homo, saluator & redemptor mundi, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, agnusque immaculatus, qui tollit peccata mundi: habens clauis regni caelorum, & omnem in caelo & in terra potestatem. Cuius potestas aeterna est, & regnum eius incorruptibile. Quod regnet in aeternum, et regni eius non erit finis. Quod Christus sit ille, in quo benedicendae erant omnes gentes, de quo promissio facta est Abrahae in Isaac filio liberae, & non in Ismahele filio ancillae, teste scriptura: Eijce ancillam et filium eius, quia in Isaac erit tibi semen. Quod ipse sit ille Messias, et propheta magnus de quo Moyses & prophetae scripserunt in lege. Quem Abraham summo desiderio expectauit, ut uideret: & tandem uidit, & gauisus est. Qui a prophetis nominatur angelus testamenti, Emanuel, Saluator, Consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Haec & multa alia tradit Euangelium de uia salutis, quae Christus est, ut eam uideamus, & cognoscamus per fidem. Verum quia modicum proficit cognoscere & uidere uiam salutis, nisi in ea homo sit, & ponatur in ea: ideo ultra fidem, necessaria sunt Euangelica sacramenta. Inter quae primum, & in noua aliorum est sanctum baptisma: de quo ait Dominus in Euangelio Ioannis ad Nicodemum: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et post resurrectionem suam ascendens in caelum, tradens huius sacramenti formam, inquit discipulis: Euntes igitur, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, et filij, et spiritus sancti, docentes eos seruari omnia quaecumq; mandauit uobis. Et iterum: Euntes in mundum uniuersum, praedicate euangelium omni creaturae: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit. Est igitur hoc sacramentum, quo regeneramur ad uitam, necessariū ad salutem: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quum igitur Alchoranus prohibeat omnino hanc baptizati regenerationem, non aperit, sed potius claudit regnum Dei, his qui eum sequuntur. Necesse est ergo, ut qui uult saluus esse, & introire in regnum Dei, quod ultra fidem reclam & orthodoxam in nomine sanctissimae trinitatis, scilicet patris, & filij, & spiritus sancti baptizetur: deinde cibetur cibo caelesti, scilicet corpore & sanguine Domini nostri Iesu CHRISTI, ipso dicente in

Sacramenta

Baptismus

Eucharistia

Euan.

Euangelio: Qui non manducat meam carnem & non bibit meum sanguinem, non habet uitam eternam. alijsque iuxta exigentiam imbuatur eclesiasticis sacramentis. Vltimus, quia frustra est, quoad salutem, fieri et esse Christiani nomine, & operibus stare in uia, & non dirigere suos gressus in terminum: ideo ut perfectissima lex secundum Euangelium, non solum ostendit nobis uiam per fidem, ponitque non in eadem per sacramenta, sed etiam recte & faciliter dirigit nos in terminum: recte quidem, per praecepta & uirtutes: faciliter autem, per consilia. Nulla etenim est, aut unquam fuit lex, quae tam radicatus extirparet uitia, tam profunde in sereret uirtutes, tam ardue diuina exequeretur mandata, tam suauiter ad implendum perfectionis consilia demulceret, sicut est Euangelica lex, quae omnem perfectionis uiam continet, & ostendit. Quae enim lex unquam fuit, quae tam pie, tam deuote, tam magis honorare, sabbata et festiuitates sanctificare, parentes amare, proximos diligere, ad imaginem Dei homines factos non occidere: pudicitia seruata in omnibus, non solummodo non moechari, sed nec fornicari, aut polui quoquo modo: non furtum facere: non latrocinari, non alijs opprimere proximum: non contra ipsum falsum testimonium dicere. & quod amplius est, non scandalizare ipsum, nec ei irasci: non concupiscere uxorem ipsius, non ancillam, non rem aliam quamcunque in saeculo. Et non solum haec, sed etiam quod carnalibus hominibus uidetur impossibile: Diligere inimicos, benefacere odientibus, orare pro persequentibus, & calumniantibus nos. Et ut ad uirtutes ueniamus, ipsa humilitate et mansuetudine superbiam deijcit, benignitate inuidiam uincit, magnificentia & largitate auariciam superat, temperantia & sobrietate gulam mitigat, patientia iram extinguit, sollicitudine & diligentia acediam enervat, castimonia uero & pudicitia non solum luxuriam & omnem impetum libidinis resrenat, uerum multos & plurimos ueluti ipsos caelestes et incorporeos spiritus reddat impassibiles omnino. Quid plura? ipsa auertit uisum, ne uideat uanitatem: claudit auditum, ne inuilia & scurrilia audiat: prohibet gustum, ne illicita concupiscat: temperat odoratum, ne ad inanes & mortiferas dilabatur suauitates: refrenat & retrahit tactum, ne prohibita quoquo modo tangat, aut amplectatur. Ipsa cogitationes immundas purgat, delectationes noxias fugat, consensum ad illicita omnino prohibet, linguam cohibet, sermones ordinat, mores componit, opera dirigit, omnia quae agenda sunt restaurat, et ut uno sermone omnia complectamur, ipsa docet

Præcepta de officijs.

Virtutes.

Deum timere, & ipsum toto corde diligere, ipsi adherere, & ab ipso nunquam in aeternum separari: quod est summa felicitas, et immensa iocunditas, hic inchoata, utcunque possibile per speciem, quae tandem in alia uita per rei euentia complebitur & perficitur ex integro. Quae felicitas & iocunditas est finis et terminus uiae, per quam lex euangelica suos sectores ducit, & dirigit, modo ut dictum est. Qui quidem finis & terminus, quod salutem & felicitatem dicimus, licet sicut incomprehensibilis, ita & inexplicabilis sit, dicente Esaias propheta, Oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, bonum scilicet quod Deus preparauit diligentibus se: nihilominus ut nos mortales possumus, aliquid et breuiter dicimus de ipso, ut ex ipsa auiditate praemij, animi nostri non abhorreant arduitatem itineris. Etenim felicitas, quam lex Euangelica promittit Christianis, non consistit in possessione bonorum terrenorum, non in esu omnigenorum carnum & fructuum, non in potu uini, mellis & lactis, non in suauitate fontium aquarum currentium, riuulorum scilicet & fontium: non in amplexu & luxu carnali, pulcherrimarum mulierum & uirginum: non in ceteris, ad quae carnalis concupiscentia & mortalis sex instigat, cuiusmodi paradysum uobis uester promittit Alchoranus. Sed felicitas nostra Christianorum, quam uitam eternam dicimus, consistit substantialiter quidem & essentialiter per se, & absque quocumque creato medio in uisione ipsius diuinae essentiae & naturae. Vnde Dominus noster in Euangelio ait: Haec est uita aeterna, ut cognoscat te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et quia tale uisum erit in uidente per amorem, qui transformat amantem in amatum, ad ipsam uisionem sequitur transformatio quaedam & tensio, qua amans deiformis efficitur, & tenebit amatum: immo & unum erit in reliquo, dicente domino, Qui manet in me, et ego in eo, quia deus charitas est: et qui manet in charitate, in deo manet, et deus in eo: quia ad unionem summam conuenientis, sequitur dilectio summa. Ad illam diuinam et aeternam uisionem, sequitur inenarrabilis dulcedo et suauitas, quae proprio nomine fruitionem dicimus. Et talis, qualis nec mens cogitare, nec lingua uallet exprimere mortalium. Quam admirans Dauid Propheta in spiritu clamabat, dicens: O quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te? Praeter praedictam diuinam uisionis beatitudinem, qua anima nostra ex integro felicitabitur. Habebimus & in corpore felicitatem suo modo. Etenim corpora beatum erunt immortalia, incorruptibilia, et omnino impassibilia, subtilia denique

Summa felicitas.

Finis, summumque bonum, aut terminus.

In quo uita aeterna, seu felicitas.

& agibilia, & plusquam sol modò sit, splendida
 & resplendentia. Non comedent, neque bibent ibi
 corporaliter, diuina uisionis ineffabili satieta-
 te repleti. Similiter neq. nubent, neq. nubentur,
 sed erunt sicut angeli Dei. dicente Domino no-
 stro Iesu Christo in Euangelio: In resurrectione
 enim neq. nubent, neque enim ultra mori pote-
 runt: sed sunt sicut angeli Dei in cælo, & fi-
 lij sunt Dei. Et iterum: Tunc fulgebunt iusti, si-
 cut sol in regno patris eorum. Et sicut de socie-
 tate, ita & de conditione ipsorum, quo ad huius-
 modi actus corporeos gaudebunt. Quia nullum
 erit ibi cibi desiderium, nulla ibi exardescet li-
 bido, nullæ reliquæ passionis, quales modo pati-
 mur corporis. Non lachrymæ, non luctus, non
 clamor, non deniq. ullus dolor, non ægri-
 tudines, non imbecillitates, non paupertatis metus. Ne-
 mo ibi lædetur, neq. irascetur, nemo inuidebit
 proximo. Nulla pulsabit honoris, aut potesta-
 tis ambitio. Nulla erit tunc discordia, sed cuncta
 consona. Nullus erit ibi diaboli metus: insidie de-
 monum nullæ: timor gehennæ procul: tranquil-
 la erunt omnia, & cum æterna securitate iugis
 splendor. Vere degenerat, qui huius uitæ amore
 non capitur, in qua diuitiæ & deliciae & gaudia
 sic inchoantur, ut finire non possint. Cuius qui
 amator esse noluerit, & presentem, & perdet ui-
 tam temporalem, & hac æternam de qua loqui-
 tur non inueniet. atq. à morte æterna capietur.
 Huius æternæ uitæ, & æternæ felicitatis, olim
 magnus Paulus noster, Iesu Christi desiderio tra-
 ctus, de exilio uitæ præsentis conquerens, sic cla-
 mabat: O infelix homo, quis me liberabit de cor-
 pore mortis huius? Viuo ego iam, non ego, uiuit
 autem in me Christus. Cupio dissolui, et esse cum
 Christo. Abscondita enim est mortalibus illa ui-
 ta: quia quam diu sumus in mundo, peregrina-
 mur à Domino. Sed tunc reuelabitur, et manife-
 stabitur, cum Dominus Iesus cœperit pro terre-
 nis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro
 modicis magna præstare, et adducere secum san-
 ctos in uisione paternæ gloriæ, & facere secum
 in cœlestibus confidere, sui que immortalitatem
 largiri, ad quam sui sanguinis uiuificatione eos
 reparauit. O quam gloriosa dicta sunt de te, ciui-
 tas dei. O quam dilecta tabernacula Domine uir-
 tutum, concupiscit & deficit anima mea in atria
 Domini. Dicebat propheta, Cor meum & caro
 mea exultauerunt in Deum uiuum. Talis profe-

cto est felicitas Christianorū: talis spes nostra: ta-
 lis sancti Euangelij finis & terminus. Non qua-
 lem caro & sanguis promittit nobis, sed qualem
 habent cœlestes et angelici spiritus. Pro quo ob-
 tinendo, non mirum si priores nostri patres igne
 charitatis accensi, uaria & innumera pertulere
 alacriter & gaudenter tormenta: si parentibus, si
 uxoribus, si liberis, si denique diuitijs, delectatio-
 nibus carnis, cæterisq. huius sæculi bonis spon-
 te renunciabant, ut ad hanc & uelocius & secu-
 rius atq. liberius pertingerent. Et quia charitas
 Christi (quæ quantum in ea est, uult omnes ho-
 mines saluos fieri, et ad agnitionem ueritatis per-
 uenire) coegit nos, ut dimissis omnibus uitæ præ-
 sentis commodis, à longinquis partibus, & cum
 magnis laboribus usq. ad uos ueniremus, profite-
 remurque, et annuntiaremus quæ professi sumus,
 & annunciauimus. Ideo rogamus uos, & obse-
 cramus in eo, qui nos omnes ad sui imaginem, ra-
 tionales & intellectuales creauit, ut patienter
 his in scriptis suscipiatis, quæ annunciauimus: &
 ut rationales, ad imaginem & similitudinem dei
 creati, scripta nostra cum ratione discutiatis.
 Et si quid rationi consonum reperietis, illud ut
 rationales suscipite. Si quid uero aliter uobis ui-
 deatur esse nunciatum, ecce paratos nos offeri-
 mus, etiam quousque reddatius spiritum ad Deū,
 qui fecit illum, in illius auxilio & uirtute, qui dē-
 xit, Dum steteritis ante reges & præsidēs, nolite
 cogitare, quomodo aut quid loquamini. dabi-
 tur enim uobis in illa hora quid loquamini. Ad
 ostendendum, quod omnia quæ scripsimus, san-
 cto euangelio & rationi sunt consona. Si autem
 nec prædicta cum ratione discutere, nec nos ul-
 terius audire, ordine & circumstantijs seruatis
 debitis, uolueritis: excusamus nos coram Deo &
 omnibus angelis & sanctis suis, & inuocamus in
 testes cœlum & terram, & omnem creaturam,
 quod iuxta posse circa salutem uestram fecimus,
 quod facere potuimus: ponentes animas nostras
 pro uestra salute, & charitate. iuxta Euange-
 lium, quod dicit: Maiorem charitatem nemo ha-
 bet, quam ut animam suam ponat quis pro ami-
 cis suis. & pro laude Domini nostri Iesu
 CHRISTI, qui est DEVS
 benedictus in sæcula,
 Amen.

FINIS.